

117

118

Q. B. V.
DISSERTATIONIS,
DE

**P R Æ S E N T I
R E I P U B L I C Æ
L I T E R A R I Æ
F L O R E,**

PARS POSTERIOR,

QUAM,
SUFFRAG. AMPLISS. FAC. PHILOS. IN REG.

AD AURAM ACADEMIA,

MODERANTE

HENRICO HASSEL,

ELOQUENTIÆ PROFESS. REG. & ORD.

PRO LAUREA

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

STIPENDIARIUS REGIUS,

ANDREAS ABR. HAGELBECK,

W. G.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXVII. JUN.

ANNI MDCCLIV.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc. Fin-
land, JACOB MERCKELL.

SÆRÆ M: TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO.
**ENGELBERTO
HALENIO.**

S. S. Theologiæ DOCTORI
Consummatissimo,
Dieceseos Scarenfis EPISCOPO,
Eminentissimo,
Ven. Confist. PRÆSIDI
Gravissimo,
Gymnafii Scholarumque per Dicecesin EPHORO
Adcuratissimo.
MÆCENATI SUMMO.

לְנֵא יַחַר לְךָ אִישׁ גְּדוּל וְנוֹרָא מַאֲר וְהוֹאִיל
עֲבֹד לְכוּא לְפָנֶיךָ הַיּוֹם בְּעֶשְׂרַת הַדְּבָרִים
חַאֲלָה יַחֲסֹרוּ כָל מַתָּק כְּרוּב הַעֲסָקִים וּכְהַמּוֹן אֲשֶׁר
פְּחַצְרוּ יִכְתִּירוּךָ יוֹמָם וּלְיַלַח לִי הֵנָּה יִרְא לְכוּ בְּקִרְבֵּי
וּנְכַהֲלָה בְּפִשֵׁי מִקְרֹב אֵל תְּפַאֲרֶתָּה לְכוּר עֲדוּנֵי לִי אֵל
בְּפִלְאוּ בְּחַלֵי חֲסִדֶיךָ לְכָל אֲדָם וּמִימֵיהֶם לֹא יִכְזְבוּ
רַבִּים כְּתוֹדוּמֹתָ לְבָבֵי יְיָ לֶחֶם טַעַם וְנַעֲמִים הוּא
מַהֲלֵב

מחלב וטוב מיין ושמן מתוק מדבש ולולפת צופים
על כן שמחתי כשמע טובתך כשמחח בריח ראשי
בשמים ועתה שמחני כרוב חסדיך ובגודל רחמיך יקבל
בזרע הנתוויה זכתי כמזבח גאותך שעה נא ממשכן
כבודך אל קתורת חסדי אשר עננהו עבות רגבו
כשמים על כן אוש האלהים תשעה נא אל משאלותי
ותשלים הפצי כאשר שאלו עיני תשוקתי ותתן שמחה
כלבי מעלון רשעים בעת דגנם ותרושם רבו ותעלונה
כליותי בקרבי בגילה ורבן בהיות נשמתי כי תקום
כל לשוני אתי לשור לאדוני שיר המעלות כי הגדלת
לעשות עמדי חסד ואמת היום הזה ואלהים אשר
הציבך כהן הגדול וראש קהלתו יתן בקרבך רוח תכונה
ועצה להיות לצור מעוז ולמגדל עוז לכל הטובים
היושב בשמים ישגיח אליך לברכך בכרכה הגדולה
ולא יטצא בארץ איש כמוד בימינך יהי ארך ימי
ובשמאלך כבוד והדר פרוה תפורה כארו אלהים
כל ימי חיך

REVERENDISS. NOMINIS TUI

Devotissimus cultor,
ANDREAS ABRAH, HAGELBECK.

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,
**D^N. ALGOTHO A.
SCARIN,**

Hist. & Philos. Civ. PROFESSORI Reg. & Ord.
Acad. Aboëns. Biblioth. PRÆFECTO adcuratissimo,
Societatis Literariæ Upsal. MEMBRO dignissimo,
MÆCENATI MAGNO.

*AN*nua dum Veteres celebrabant festa Deorum,
A Sic erat alma Ceres frugum veneranda corollis,
Phæbo vibranti fulgentia lumina taurus
Vite data Bacchus, lauro colebatur Apollo,
Nunc Mecenates, Auraici Numina Pindi,
Cornigeri desunt tauri niveaque juvencæ,
Indiga consultat pietas, num forte papyros
Crimen erit, timeo, tam vilia dona tulisse;
Ast nullus dubito, Patroni fronte sereni,
Alta simul calido fundam de pectore vota,
Vita, salus, fortuna, decus, generosa voluptas
Nulla prius vasto labentur flumina ponto,

CELEBERRIMORUM

REVERENDISS. NOMINIS TUI

Humili-
ANDREAS A.
HAGELBECK

Amplissimo atque Celeberrimo VIRO,
**D^N. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,**

L. L. O. O. & Gr. in Acad. Aboëns. PROFESSORI
Reg. & Ord.
Consistorii ibidem ADSESSORI gravissimo,
MÆCENATI MAGNO.

*C*erta Deo certo munera rite dabant,
*Q*ue præerat segeti, que Dea messis erat,
Cornibus auratis victima grata fuit,
Omnia quis numeret dona dicata Diis?
Dicite, quo deceat vos celebrare modo?
Laurus abest viridis, vitis opima simul,
Ausit thuricremis sacrificare focis.
Magna decent magnos munera namque viros.
Quin pia mens placeat, sit vel egena manus.
Conferat Omnipotens, quod mea Musa nequit.
Vestra palata beent tempus in omne, precor.
Cessat ab ingenua quam pietate cliens.

NOMINUM VESTRORUM

Humili-
ANDREAS ABRAH.
HAGELBECK

Admodum Reverendo atque Praclarissimo Viro
Dn. Mag. NICOLAO SYNNERBERG,
PASTORI in Hæled meritissimo, adjacentisque Districtus
PRÆPOSITO vigilantissimo, Avunculi loco ætatem
colendo.

Perquam Celebris atque Praclarissimo Viro,
Dn. Mag. SVENONI HOOFF,
Utriusque Svadae Romanae in Illustri Gymnasio Scarenfi LECTORI
longe meritissimo, Vener. Consist. ADSESSORI gravissimo,
PATRONO, qua par est veneratione prosequendo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo Viro,
Dn. JOHANNI BECKNER,
PASTORI in Hwahlstad dignissimo, Avunculi loco perpetim
devenerando.

Plurimum Reverendo at-
Dn. NICOLAO
PASTORI in Tädene laudatissimo, FAULTORI cer-

Consideranti Patroni & Fautores, mihi, quae in me extare
quae sunt maxima. Nam quoad longissime possum in praeco-
ecetatem dispartivit Providentia, ut ab ipsis cunis ad
Quo acerbior erat casus pueritiae b. Parente orbatae, eo vivacior
effecit, ut sanctae cladis memoria deleta videatur omnis. Vos post-
totum illud tempus, quod apud Camoenas Vestras transegi, & sua
insignis Vestri favoris exhibuistis documenta, quam quae, si vel Tullia-
dicam de continuata Vestra benignitate, sine qua lucem non vi-
liis Vestris carissimis paucos ante annos Dux datus, ea expertus
Haec tanta beneficia, Patroni & Fautores, licet satis eloqui ne-
ria. Patiamini igitur, humillime rogo, ut hanc Vobis consecrem
mi tesseram. Dignitatem munusculi si respicitis, Patroni, nulla
turam, b. e. summam. De caetero, Vos jubeat Summus rerum
citate, quam in his terris unquam adsequi licet, quo habeant Pa-
de quo jure sibi gratulari queant.

Adm. Rev. Praclariss. Plur.
Cultor Obser-
ANDREAS ABRAH,

Admodum Reverendo atque Praclarissimo Viro,
Dn. Mag. MICHAËLI LEBELL,
Ecclesiarum, quae Deo in Ulfsby & Björneborg colliguntur, PA-
STORI & PRÆPOSITO meritissimo, Scholae Trivialis ibidem IN-
SPECTORI accuratissimo, NUTRITIO antehac propensissimo.

Perquam Celebris atque Praclarissimo Viro,
Dn. Mag. ANDREÆ H. FORSSENIO,
Logices & Metaph. in celebri Gymn. Scarenfi LECTORI lau-
datissimo, Ven. Consist. ADSESSORI æquissimo, PATRONO
quavis pietate ætatem colendo.

Plurimum Reverendo atque Clarissimo Viro,
Dn. ERICO FORTELIO,
PASTORI in Sastmola vigilantissimo, NUTRITIO antehac
propensissimo.

que Clarissimo Viro,
WENNER,
tissimo, quavis observantia colendo.

voluistis beneficia, tanta haec visa sunt, quanta esse solent ea;
teritum tempus respicere, benignitatem Vestram ita ad omnem meam
praesens usque tempus in Vobis mihi non defuerit patrocinium.
est sensus Vestrae, Fautores Cognati, erga me gratiae, quae id
ea Patroni Optimi, & Praeceptores antehac fidelissimi, per
vissimam exquisitissimae eruditionis Vestrae ambrosiam hausi, plura
na adisset, facundia eisdem digne praedicandis sufficeret, ut nihil
disset praesens opella. A Vobis denique, Patroni Propensissimi, si-
sum benignitatis pignora, quibus demerendis aetas non sufficit.
queam, eorum tamen apud me nunquam intermoritura est memo-
opellam, in certissimam animi gratissimi pariter ac devotissi-
est, si pietatem offerentis, eam spondeo beneficiis vestris parem fu-
Stator ad extremos usque vitae humanae terminos ea frui feli-
tria, Ecclesia, Literae, Familiae Vestrae, Clientes denique omnes,

Rev. NOMINUM VESTRORUM
vantissimus,
HAGELBECK,

Philosophiæ CANDIDATO,
Dn. ANDREÆ A. HAGELBECK,

morum concinnitate atque eruditionis laude Clarissimo.

S. P. D.

Qui genuinam colunt amicitiam, ex omnibus amicorum
calibus propriam æstimant fortunam. Si duris exer-
centur fatis, dolore adficiuntur; si rebus utuntur se-
cundis, voluptate perfunduntur. Verbo ut rem complectar,
amantibus omnia sunt communia. Noli ergo mirari, Amice in
paucis Dilecte, quod ex felicioribus Tuis successibus semper
maximam percepi lætitiã. Etenim a teneris inde unguiculis in
Te alterum habui eundem, TUAM fidem TUAMQUE integrita-
tem innumeris expertus documentis. Nec familiarem Te me-
liorem optare potui. Nam nativam morum probitatem pulcher-
rimis doctrinæ ornamentis ad tantum evexisti fastigium, ut
dictu sit difficile, utrum virtute charior, an eruditione clarior
existimandus sis. Qui amabilem sectantur honestatem, in Te
tersissimum ejus speculum inveniunt; qui erudita colunt studia,
in Te lætissimum industriæ exemplum habent. Ad omnia e-
nim præclara natus, ac destinato Numinis consilio factus vi-
deris. Ut ingenium felicissimum & perspicacissimum judici-
um Divina TIBI concessit munificentia; ita diligentia plane sin-
gulari omnes animi dotes quam felicissime perpolivisti. Te-
statur hoc copiosissimus eruditionis adparatus, cujus proma
veluti conda est præfens hæc dissertatio; qua id obtinebis, ut
omnes TIBI honores, etiam non ambienti, ad fores veniant.
Gratulor TIBI, mi HAGELBECK, hæc omnia, Gratulor Tuis,
Gratulor mihi. Quod reliquum est, voveo, velit Summus
rerum Arbiter ditissima sua gratia efficere, ut pulcherrima
lauri corolla, quæ Te propediem expectat, amplissima vir-
tutis præmia semper habeat sequacia

Tuus totus,
ANDREAS SVENONIS EDBLAD.



§. XVII.

AD reliquas jam progredimur scientias, qua-
rum in vita humana, eadem sæpe atque illa-
rum, quas parte priori attigimus, & quan-
doque major est utilitas atque necessitas. In
ordine scientiarum primum tenere locum so-
let Logica, quia ejus est officium, in veritate in-
venienda & ordinanda cæteris inservire. Si ex mul-
titudine librorum progressus in disciplinis esset judican-
dus, hæc, si non reliquis præstaret omnibus, pau-
cissimis esset secunda. Tot enim extant Logicæ A-
ristotelicæ, Cartesianæ, Wolfianæ, Eclecticæ, & alio-
rum aliæ, ut earum nec sit numerus nec finis; sed
plerique horum auctorum scripserunt de charta in
papyrum. Atque regulæ istæ generales, quarum in
omni scientia est usus, pauciores & clariores esse
debent, quam ut prolixas adeo commentationes re-
quirant. Nec tamen ita facile est, ut multi sibi per-
svadent, Logicos partus edere; in cæteris namque scien-
tiis bene versatus sit oportet, qui vel universali hoc
modo viam aliis monstrabit. Quod autem singulæ
disciplinæ habent particulare, id in singulis est quæ-
rendum. Ut ratio & experientia duo sunt illi fon-
tes,

gnoscentur, Theologiam Naturalem tradere. Hanc viam ingressi sunt Derhamus, Raijus, Nieuventyr, & præter hos alii plures, qui partem quandam Scientiæ Naturalis eum in finem sibi tractandam delegerunt. Quod hæc methodus vera sit ac genuina, nullum est dubium. Rerum enim existentium noticia omnis in experientia fundamentum habere debet; & qui oculis conspici non potest, ex operibus cognoscendus est DEUS, quod ipsa quoque revelatio docet. Quum abstractæ speculationes vel in scepticismum desinunt, vel atheismum, quæ experientiæ superstructa est, cognitio inconcussa manet, & summi Creatoris venerationem excitat augetque. Sic Theologia Naturalis eam accepit lucem ac certitudinem, de qua nostra sibi ætas jure meritoque gratulatur.

§. XIX.

NEque Psychologiæ sui desunt cultores. Id vero dolendum, quod ut olim, sic recentiori ætate extiterunt, quibus de homine monstrosas omnino opiniones procudere placuit. Ut enim quidam corporis, ita alii mentis existentiam negarunt. Quomodo disputandum sit cum illis, qui ejusmodi protrudunt portenta, difficulter capio. Quem enim rationibus locum concedet, qui suum corpus, & quæ extra illud sunt, ac sensus adficiunt, omnia mera phantasmata esse adserit? Vel quid expectandum est ab eo, qui omnes, quæ unquam inventæ sunt & cultæ, scientias & artes, omnia hominum negotia, publica & privata machinæ, ex necessitate agenti tribuit? Vix mihi persuadeo, hos serio agere; sed potius

tius vel ingenii ostentandi causa, vel per malitiam talia proferre. Manifestum autem est, quod hæc dogmata religionem, leges, judicia & omnem disciplinam tollant; quare in Republica bene constituta tolerari non debent. Nec rationibus & argumentis, sed fustibus & virgis, qui talia evulgant, refutandi videntur; de quo cur conquerantur, secundum sua ipsorum principia non habent. Nam, qui nullum dari corpus adfirmat, de malis corpori inflictis indignari non debet; & qui se aliosque nihil nisi machinas esse dicitur, si aliæ in suam irruant machinæ, cur stomachabitur? Alii, licet mentem a corpore distinctam esse concedant, nihilominus libertatem ejus impugnant, quasi vero intima experientia non persentiscerent, se, quid bonum sit, quid malum intelligere, illud eligere, hoc averfari posse; qua facultate qui gaudet, liber est, si id vel maxime neget, nec alia libertas est possibilis, vel cogitari potest. Neque credibile est, hanc veram eorum esse sententiam, sed manifestissimam veritatem adgredi valere, singulare ingenii specimen videtur, quum certissimum sit stultitiæ documentum. Quemadmodum hæc tristia sunt, & inter nostri temporis maculas referenda; ita lætum & honorificum, quod mentis humanæ existentia & a corpore distinctio, vires & operationes, atque etiam libertas nunquam solide magis adsertæ fuerint & explicatæ. De cætero, quum vires ingenii humani, tam in negotiis, quam scientiis artibusque variis se exserant ac manifestent, & historia & inventa plenius intellecta veram mentis notitiam illustrent amplificantque.

§. XX.

tes, ex quibus derivanda est omnis humana cognitio; ita qui certis, perspicuis & necessariis utramque regulis instruunt, omne tulisse punctum haud immerito censentur. Atque, quum rationem & experientiam optimo successu conjunxerint Mathematici, quod Logicum omnino artificium est, non injuste quod suum est, repetit Scientia Rationalis, & in proprio excolit fundo. Sed quidam Logici, dum rigide nimis imitari volunt Mathematicos, & in omnibus minutis ad eorum exemplum se conformare, ea quandoque ingerunt, quæ cum methodo Logico-mathematica necessarium nexum non habent, & a reliquarum disciplinarum indole abhorrent, quod Wolfius ejusque sectatores ad nauseam usque fecerunt. Et, ne injuriam illis facere videamur, prodeant magno numero supervacaneæ illæ definitiones, veritarum planissimarum demonstrationes prolixæ, eorundem repetitiones multifariæ, atque alia id genus, quæ omnium oculis obversantur. Id vero nocentissimum est, quod conclusiones, ex falsis principiis longa serie deductæ, hac methodo coloratæ, pro certissimis veritatibus venditantur. Sed abusus non tollit usum. Id certe negari nullo modo potest, quod Logica, ex quo eam tractare cœperunt Mathematici, in meliorem longe redacta sit formam, & novam prorsus induerit faciem. Initium fecit Cartesius cum sectatoribus suis, sequebatur Tschirnhausius, hunc Croufazius & alii exceperunt; quin etiam apud Wolfium, in hac præsertim disciplina, multa quantivis pretii inveniuntur.

§. XVIII.

§. XVII.

UT apud omnes, qui unquam extiterunt, populos, aliquis erat sensus religionis; ita nec defuerunt apud gentiles, qui unum esse rerum omnium Auctorem & Governatorem, Eundemque potentissimum, sapientissimum, justissimum & optimum statuerent: sed plurimi eorum, etiam qui supra vulgum sapere volebant, atque inter hos quoque Philosophi, falsas omnino & erroneas de DEO foverunt opiniones. Et, quod de Græcis dictum est §. II. in alios quadrat. Hæc monstra per religionem Christianam, quæ Theologiam Naturalem veram complectitur, exterminata, diu abfuerunt. Post literas vero renatas, quum gentilium libros pervolvere cœpissent multi, eorum quidam inde imbiberunt impietatem, & atheismum ex orco revocandum susceperunt. Ut alios præteream, unum Spinozam nominasse suffecerit, qui systema atheisticum consignavit. Impia veterum dogmata, ad quæ provocat Spinoza, ita examinavit & discussit Cudvorthus in Systemate Rationali, ut opus hoc generi humano honorificum esse, jure dixerit Johannes Clericus. Spinozam Poiretus, Bentlejus, Clarkius, alique retulerunt. Atque nititur systema Spinozæ notionibus Ontologicis falsissimis, quarum absurditatem, qui vel tantillum habet ingenii, primo intuitu animadvertere potest. Quemadmodum deprehensum est, per vanitates istas Spinozam aliosque in transversum fuisse abreptos, ita viris cordatissimis visum est consultum, ex consideratione mundi, rerumque in eo occurrentium, quatenus per experientiam co-
gno-

§ XX.

Quemadmodum cunctas apud gentes aliqua fuit religio, ita nec ullus inventus est populus, omnis Doctrinæ Moralis expertus; quæ si non libris ubique fuerit comprehensa, institutis tamen, traditione & consuetudinibus continebatur. Ubi vero cum vitæ cultu floruerunt scientiæ, heic ex professo quoque tractata est Morum Disciplina. Si quæ varias apud gentes vel usu recepta, vel a doctis tradita fuerant dogmata Moralia spectemus, ut multa in illis probanda, ita nec pauca in iisdem falsa & rejicienda occurrunt. Hi gentilium errores qua magnam partem correcti & sublati sunt per Christianam religionem, cujus Doctrina Moralis optima est & perfectissima; quædam tamen altius infixæ remanserunt. Atque, ut quod res est dicamus, ipsi Doctores Christiani hic aliquid humani sunt passi; nam vel sententiarum Sacrarum Literarum minus recte adsecuti, inter mandata Divina quandoq; referrebant, quæ talia non erant, vel dogmata, quæ Christianis consentanea, saltem iisdem non advertebantur, quum re tamen vera aliter essent comparata, adoptabant. Hinc factum, ut in monumenta horum Doctorum, qui honorifico Patrum nomine compellari solent, nonnulla irrepererint, quæ veræ Morum Philosophiæ probari non possunt. Deinde, quantum crevit papismus, tantum hæc disciplina decrevit. Tandem a Scholasticis ita est corrupta, & in farraginem inanum subtilitatum conversa, ut parum omnino veri & solidi retinuerit. Qui plurimos errores morales detexerunt Reformatores, Philo-

Philosophiam quoque Scholasticam fortiter adgredebantur; sed nihilominus Aristoteles cum sua Ethica inveteratam retinuit auctoritatem. In hoc statu res permansit, usque dum exiit magnus ille Grotius; cui non satis est visum, de summo tantum bono virtutibusque & vitiis agere, sed per amplissima vitæ humanæ & civilis spatia justum ab injusto discernere placuit. Hic Jus Naturæ in formam scientiæ primus redegit, & omnem vastæ suæ eruditionis apparatus ad opus hoc illustrandum ornandumque adhibuit; quod quanti in Republica Literaria æstimatum sit, vel ex commentatorum & epitomatorum multitudine colligi potest. Jus Naturæ & Gentium secundum disciplinam Hebræorum contempnit Seldenus; qui proinde limites scientiæ hujus, ex lumine tantum rationis tradendæ, transgreditur. Quæ ad hanc disciplinam pertinent, libro de Civitate non pauca interruit Hobbseus; sed eam destruit porius quam extruit, dum omne justum & injustum discrimen ex uno Principum arbitrio suspendit. Quod a Grotio bene cœptum erat & longe protractum, id in multis emendavit, illustravit, supplevit & perfecit Puffendorfius; cujus opus de Jure Naturæ & Gentium, ejusque compendium de Officio Hominis & Civis, vel ringentibus adversariis, singularem illam in Republica Literaria dignationem obtinuerunt, quam adhuc tuentur & perpetim tuebuntur. Puffendorffium limare voluit Christianus Thomassius, quod ita præstitit, ut Legem Naturæ in consilium transformaverit. Principium justum, honestum & decorum, quod pro invento

vento hecatombe digno habet, nihil continet, quod ab aliis dictum non fuerat, & quibus destinatum est, solvendis haud sufficit nodis. Post hunc Christianus Wolfius Scientiam Moralem methodo sibi consueta, h. e. Mathematica pertractandam suscepit, de qua §. XVII. adducta etiam in hæc ejus opera quadrare, qui a partium studio fuerit alienus, negaverit nemo. Præterea per hanc pariter tractationem Ontologiæ suæ opes ita dispensat, ut Philosophiam Scholasticam ex inferis excitare ipsi fuisse propositum videatur. Multi deinde alii nova principia & demonstrationes novas excogitarunt, qui tamen sic tractationem instituunt plerique omnes, ac si una hæc solvenda esset quæstio: Quid agendum aut omitterendum sit, ut conservetur ac promoveatur salus & felicitas generis humani. Sic, quæ per Grotium atque Puffendorhium excitata fuit Scientia Juris Naturalis, plurimos deinde & prope innumeros nacta est cultores, inter quos Buddæum, Barbeyracium & Coccejus honoris causa nominamus, eo jam ascendit, ut, si non summum attigit fastigium, eidem tamen proxima videatur.

§. XXI.

CUM Scientia Morali arctum habet nexum, saltem habere debet Civilis. Politicam Græcorum & Romanorum attigimus §. §. II. & III. Sub papismo autem, ut Doctrina Moralis in miserum redacta fuit statum, ita vera Politica propemodum periit. Regnum enim papisticum multa continet, quæ cum

cum saniori Politica conciliari nullo modo possunt; & jura Principum tantum non omnia devoraverat imperium papale. Reformatio autem religionis Principibus sua jura restituit, & veræ Politicæ locum fecit. Solet hoc vitio verti Principibus, quod ob utilitatem propriam opus reformationis promoverint; sed nullam video rationem, quo minus aperte fateri potuerint, inter alias, cur huic negotio favorint causas, hanc etiam fuisse, quod ea, quæ contra omne jus ac fas sibi fuerant ablata, recuperare voverint. Postquam excoli cœpit Scientia Juris Naturalis, etiam hæc de juribus Imperantium doctrina magis est explicata, & clarissima in luce posita; prout multa alia, ad Scientiam Civilem spectantia, suis operibus inseruerunt Juris Naturalis Scriptores. De cætero, libri Politici jam extant magno numero, & quidem a Gallis, Italis, Hispanis, Anglis, Germanis aliisque editi, quos recensere nostrum non est, & recenserunt multi, qui Bibliothecas Politicas consignarunt.

Quod si Prudentiam Civilem, quæ in ipso orbe se præbet conspiciendam, attingere licet, in hac, recentiori tempore quædam occurrunt observatione dignissima. Fœdera populorum in ampliora jam spatia, quam unquam antea, se extendunt, adeo, ut omnia fere Europæ regna duobus systematibus magnis sint comprehensa; quo instituto, si bella & injustæ oppressiones, quod a Divina Clementia sperare licet, præveniantur, nihil societati humanæ salubrius potuit excogitari. **B** renda

renda crudelitate gerebantur olim, ita jam admini-
strari solent, ut, quantum fieri potest, parcatur
sanguini, & humanitatis ratio habeatur. Quod in-
ternum civitatum regimen attinet, neque illud novis
caruit inventis. Pro diversa namque negotiorum
indole, varia condita sunt Collegia, quorum alia ju-
dicia exercent, alia œconomiam curant, alia rei mi-
litari, terrestri atque navali prospiciunt, alia denique
aliis occupationibus destinantur, unde administratio
civilis omnis novam induit formam. Leges quoque
acceperunt optimas varia regna, etiam hæc, ubi
obscurum illud atque incertum Jus Romanum longo
usu obtinuit. Atque id efficiunt instituta, hoc &
superiori seculo enata, ut, si status civilis hodiernus
cum illo comparetur, qui ante aliquot secula fuit,
tantum inter utrumque deprehendatur discrimen,
quantum est inter casam rusticam & ornatissimam
domum. Cætera vero inter, quæ grata se novita-
te commendant, eminet insignis illa, quæ in re œ-
conomica incidit commutatio. Quum enim inde
ab antiquissimo tempore, artes atque commercia
paucas apud gentes exulta fuerint, ad quas omnes
fere Europæ, imo, quæ ab aliis orbis partibus in
Europam advenerunt, opes confluebant, nunc cæte-
ri quoque populi plerique, ex longo quasi veterno
expergefati, in eo elaborare ceperunt, ut ne aliis,
& sæpe hostibus essent tributarii. Hæc res in ipsis
adhuc initiis constituta, non leves produxit effectus,
quum adoleverit, & optatam obtinuerit maturita-
tem, longe majores habitura. Atque, ut cætera ta-
ceam

ceam, si quæ per Hispaniam foras dimanaverant
auri argentique flumina, intra ipsam consistant, ali-
bi utique multi lucrorum alvei nimis exarescent.
Neque hisce ceptis remoram injicere valuit super-
stitio. Novimus namque, Regem Hispaniæ *na' é.
éoxn'* Catholicum artifices Protestantium religioni ad-
dictos, cum suis familiis magno numero recepisse,
atque etiamnum fovere. Ex uno incidimus in al-
terum. Etiam inter nova orbis imperantis hodierni
referendum est, quod Principes, quorum in regnis
adhuc remanet religio papistica, fortius quam an-
tea jura sua vindicare, & æmulam potestatem coër-
cere incipiunt. Si qui tantisper dormire viden-
tur, horum vel simulatus est somnus, vel, si verus
fuerit, non poterit esse diuturnus. Proinde, si quo
ceperat res, posthac tenore processerit, tempus in-
stare videtur, quo idem ac prior fatum posterior
experietur Monarchia Romana.

§. XXII. **Oculus Scientiæ Politicæ est Historia Civilis.**
Quamvis enim concedendum omnino est, ut in
cæteris negotiis omnibus, ita etiam civilibus expe-
rientiam propriam maximæ esse necessitatis, & pri-
mum sibi merito adserere locum; quum tamen in
Republica gerenda infinita propemodum obvenerit
casuum varietas, cui perlustrandæ unius hominis, si
vel Nestoris ætatem ille excederet, non sufficit ex-
perientia, hunc defectum, quantum fieri potest, sup-
plet Historia, omnium temporum & populorum res
earum.

earumque schemata diversa spectanda exhibens. Historicorum Græcorum atque Latinorum mentionem injecimus §. §. II. & III. Neque recentior ætas suos desideravit Historicos pragmaticos, illis meritis insignes, quæ arduum hoc negotium capit. Satis nota sunt Comminei, Guicciardini, Thuani, Puffendorffii & aliorum nomina. Brevis est, quam scripsit Verulamius, Henrici VII. Historia; sed quæ, peritissimorum æstimatorum judicio, artis Historiæ insigne quoddam specimen præbet. Opera Historica Puffendorffii pleraquæ omnia ejus sunt perfectionis, ut monumentis veterum non solum æquiparanda, sed etiam præferenda videantur. Quis enim ipsa interiora rerum eo plenius exposuit? Hoc quoque seculum, & proximum tempus optimos habuit Historicos, inter quos Danielem, Toyracium atque Holbergium honorifice compellare licebit. Neque parum lucis ac certitudinis Historiæ Civili fœnerantur Acta publica, hoc & superiori seculo singulari studio conquista & edita. In Antiquitatibus etiam patriis explicandis hoc tempore moratiores Europæ populi summo studio elaborarunt, in quem finem, quod nostra in Patria vergente superiori seculo institutum erat Collegium, etiamnum floret. Quid in hac re præstitum sit, doctissimi laboriosissimorum virorum fœtus plurimi cum publico communicati loquantur. Nec integra tantum regna eorumque memorabilia hæc complexa est industria, sed ad territoria, urbes & particularia quandoque loca se dispersit. Innumera quoque acta, non tantum ex Gazophy:

phylaciis illis publicis, quæ Archiva vocari solent, sed undecunque collecta, & in publicum emissa, hanc pariter Historiæ partem majorem in modum illustrant. Neque cultus fuit expertis Historia antiqua; Huc primum pertinent Scriptorum veterum, quibus ipsi Historiæ fontes continentur, variæ editiones. Eodem spectant, quæ Antiquitatum Græcarum atque Romanarum intelligentiæ, vel conjuncto vel separato virorum eruditissimorum labore accesserunt augmenta. Quantum etiam Grævius atque Gronovius vastis suis collectionibus hac in re effecerint, nemo ignorat. Neque defuerunt, qui plenius quoddam Historiæ antiquæ corpus coagmentandum susceperint. Prolixi quidem sunt in Historia Romana commentarii Patrum Catrou & Rouille, sed in quibus debitam diligentiam multi desiderant, prout neque fontes, unde sua desumerant, aperuerunt. Suas melius partes egit Rollinus, qui multa paucis complectitur, styli pariter elegantia ac judicii maturitate commendandus, cujus virtutes continuator ipsius Crevierius imitari satagit. Copiosissime autem, & quam fieri potuit accuratissime hoc negotium agit Societas illa Anglica, cujus præstantissimum opus, a lingua vernacula, qua primum exaratum est, in Gallicam & Germanicam transmittitur. Historia vero Literaria hac nostra ætate, tam sociato plurimum, quam privato singulorum studio tantum est excolta, quantum nunquam antea fuit. Tot enim Ephemerides, acta eruditorum, Bibliothecæ, Academiæ & alia id genus monumenta extant, atque adhuc prodeunt,

unt, quot vel sola non exiguam constituere possunt Bibliothecam.

§. XXIII.

Tandem ad Linguas est deveniendum, & quidem eas, quæ eruditæ adpellari siveverunt, quia eruditionis acquirendæ sunt instrumenta. De his conqueri solent viri quidam doctissimi, quod hac nostra ætate segnius quam antea excolantur; unde periculum instare existimant, ne barbaries, tanto studio & labore expulsa, in orbem Europæum sit reversura. Hic ad præterita aliquantum est regrediendum. Quum orbis barbariei esset immersus, non alia tuit inde elucidandi ratio, quam illam, quæ olim in mundo fuerat, scientiam quærere & colligere. Hæc autem Græcorum & Latinorum scriptis continebatur. De Sacra enim heic non agimus, quæ codice etiam Hebræo exhibetur. Primarium itaque tunc erat, & prope unicum negotium, monumenta veterum variis in angulis latentia conquirere, & eorum intelligentiam sectari. Id quam fuerit operosum, vel inde cogitari potest, quia necessaria ad hoc institutum subsidia deficiebant. Augebat difficultatem rei infinita mendarum in illis haud raro mutilis reliquiis multitudo. His igitur obstaculis perfringendis, non nisi summa & laboris patientissima sufficiebant ingenia. Atque studium Linguarum & Critices pro ratione istius temporis adeo erat necessarium, ut Scientias vix aliis attingere liceret, quam qui se totos ei conlcrarint. Quod viri illi ingeniosissimi & laboriosissimi

mi sibi propositum habuerunt, ut viam eruditionis posteris faciliorem redderent, id successu destinatis respondente, jam præstitum est. Ad sunt optimi Grammatici, ad sunt Lexica, si non perfectissima, perfectioni tamen propinqua. Ad sunt Antiquitatum Scriptores magno numero, ad sunt editiones veterum Auctorum castigatissimæ, ad sunt denique in illos commentarii doctissimi, & quidem sæpe justo prolixiores. Quamdiu itaque hæc supersunt monumenta, quæ non nisi per *πικελήριαν* quandam perire queunt, & aliqui fuerint, qui illis voluerint uti, non poterit Linguarum & Antiquitatis notitia intercidere. Quod autem in orbe literato tales adhuc dentur, & quidem non adeo pauci, res ipsa loquitur. Docent hoc Auctores veteres Græci & Latini, qui singulis annis cum novis observationibus publicam adspiciunt lucem. Docent etiam, quæ cum publico communicantur scripta Philologica & Critica. Atque recentiori demum hoc tempore Ars critica in formam disciplinæ est redacta. Ut vero omnes ad Linguarum & Philologiæ studium se præcipue adplicent, jam quidem necessarium amplius non est, nec utile. Id enim perinde foret, ac si omnes artifices in conficiendis artium instrumentis potissimum occuparentur, artes ipsas parcius exercerent. Neque Scientiæ intra illam, quam apud Græcos & Romanos attigerant mensuram, nunc terminantur, sed plures ultra sunt longe protractæ. Hæc autem sic accipi non debent, ac si Linguarum & Antiquitatis contemptoribus pollicem premamus, quos toto cælo errare nobis per-

svafiffimum est. Veterum namque monumentis continentur Scientiarum artiumque imo imperiorum ortus, progressus, fata & vicissitudines, quorum absque cognitione cæca est omnis intelligentia humana. Id vero singularem hic meretur considerationem, quod, quum hoc tempore non desint, qui Linguis & Critica abutantur ad laceffenda ipsa revelationis fundamenta, qui religionem tueri volunt, his necessarium omnino fit, in hoc studiorum genere solidam sibi adquirere scientiam, ut adversarios propriis eorum armis excipere, & repellere valeant, irrito cæteroquin conatu contra illos pugnaturi. Proinde, si eo aliquando inclinatura sint publica instituta, ut Linguarum cultura, quæ hucusque habuerat adjumenta desideret, vix quidem evitari poterit, ne res & sacra & civilis inde grave tandem lensura sit detrimentum.

§. XXIV.

SUpereft, ut de Eloquentia paucis agamus. De Eloquentia Græcorum & Romanorum nonnulla adduximus §. §. II. & III. Quod in magno isto veræ eruditionis interregno obtinuit dicendi genus, quam intonsum fuerit & scabrum, satis constat; quam potiffimum ob causam secula ista barbara nominari solent, voce barbariei sermonis vitium proprie designante. Lingua Latina in Republica Civili, Ecclesiastica & Literaria, sola erat in usu, sed ita corrupta, ut alia omnino & nova videretur, qua
de

de re in antecessentibus est dictum §. IV. Verum, si vel ad linguam non respiciatur, quæ stylum prætereâ commendare solent virtutes, exulabant pleræque omnes. Renascentibus autem literis, qui veterum monumenta pervolvebant viri eruditi, puritatem & elegantiam sermonis latini enixe sectabantur; atque, prout mortalium ingeniis facilis est in extrema lapsus, quidam in hac facultate eruditionem omnem, saltem præcipuam ejus partem constituebant. Nonnullis delicatus adeo erat gustus, ut quod a Cicerone non erat desumptum, placeret nihil. Sic stylum quoque omnem ad veterum præcepta & exempla effingere satagebant; Nec deerant, qui ipsam veteris Eloquentiæ sublimitatem æmulari conarentur. Sic ars etiam Rhetorica, ex antiquis collecta monumentis, & illis per omnia conformis tradebatur; licet multa illis contineantur, quæ Græcorum Romanorumque moribus accommodata, in aliis, ubi eadem instituta non obtinent, Rebuspublicis applicari nequeunt. Hæc est ratio, cur apparatus ille Eloquentiæ in Civitatibus Europæis non sit receptus; quamvis negandum non est, quin stilum civilem & forensem poliverit hæc veterum disciplina. In Republica vero Literaria hæc verborum pompa adhibita est in panegyricis, orationibus funebribus & aliis, quibus facta & casus illustriores celebrantur. Quæ communis, & propemodum unica eruditorum interpretes diutissime fuerat lingua latina, hæc successu temporis, & quidem superiori, hoc vero maxime seculo, alias in societatem istius honoris admittere

mittere coacta est. Cultiores namque Europæ populi fere omnes vernaculam excolere, illa varios eruditionis fœtus emittere, & Eloquentiam exercere, pulcrum & laudabile duxerunt. Initium fecerunt Itali & Galli, hos exceperunt Angli, deinde alii, & nuper quoque Sveci eandem ingressi sunt viam. Atque extant jam tot libri atque monumenta erudita linguis Europæis, ut eorum, qui Latiali unquam idiomate lucem adspexerant, numerum æquent, si non superent. Hæc novitas viris quibusdam doctissimis, atque in Rempublicam Literariam optime animatis valde displicuit, & forte etiamnum displicet; verentur enim, ne per istam linguarum eruditarum multitudinem in Civitate Literaria, Babelica existat confusio, in ipsam tandem barbariem desitura. Verum, si vel maxime utilior fuisset linguæ Latinæ in pristina dignitate conservatio, quod aliis judicandum relinquimus, res eo jam devenerat, ut si Demosthenes & Cicero ipsi in hanc vitam reversi, pro hac causa omnem exhaurirent eloquentiam, irritus eorum foret conatus. Nec video, cur nunc minus quam olim integrum sit, patriam linguam perficere, & ad quoslibet usus adplicare. Scientias ab Orientalibus acceperunt Græci, sua tamen tradiderunt lingua. Easdem a Græcis Romani habuerunt, & suo pariter idiomate propagarunt. Quis vero dixerit, hos populos viam sic ad barbariem aperuisse? Atque docet res ipsa, quod recentiori etiam ætate, ubi lingua vernacula traditæ fuerunt artes ingenuæ, ibi lætissima fecerunt incrementa, ceu præterit habemus Gal-

lorum

lorum & Anglorum exemplum. Quid? quod apud eosdem hos populos Linguæ, Latina, Græca & Orientales floruerint, atque etiamnum floreant maxime. De cætero a multitudine linguarum eruditarum tantum periculi non est, quantum primo intuitu videtur. Quidquid enim in quacunque Lingua Europæa majoris pretii editur, in Gallicum & Germanicum idioma transfunditur; & quidem plerumque ita expolitur & novis accessionibus auctum, ut versiones ipsis fontibus sint præferendæ. Quod si quis existimaverit, Eloquentiam ad Linguam Latinam esse alligatam, neque dari amplius extra illam, is pueriliter errat. Nulla extat in orbe lingua, quæ cultus non sit capax, & in qua omnes suas virtutes explicare non valeat Eloquentia; & quæ olim rotundo Græcorum ore locutæ sunt Musæ, æque bene Svethico, &, si fata permiserint, Fennico labio loqui poterunt. Hæc eo trahenda non sunt, ac si Linguæ Latinæ neglectum svaderemus. Absit. Quod de Linguis Eruditis §. superiori asseruimus, ad hoc jam provocamus. Atque ut Romani, dum in perficienda sua lingua maxime erant occupati, diligentissimam navabant operam Græcis literis, ut omnes harum veneres in illam transmitterent; idem & nos faciamus, cum vernacula conjungendo Latinam, ut pares simus in utriusque orationis facultate.

Ubi literæ elegantiores excultæ fuerunt & Eloquentia, ibi suos etiam cultores habuit Poësis. Et maxima certe est copia optimorum Poëtarum, lequior quos ætas progenuerat. De eo disquiri solet,

let, antiquis ne an recentioribus palma debeat; quæ controversia apud Gallos præsertim est agitata. Quemadmodum vero Poëtæ ingenio magis valent quam arte, ita neque credibile est, adeo jam conuenisse naturam, ut, quod olim potuit, adhuc non possit. Et, quæ antiquis suppetebant artis hujus regulæ, recentioribus quoque sunt in promptu. Neque illa, quæ veterum erat, in his desideratur industria. Sua igitur merita, suamque laudem utrisque constare arbitramur. Quum vero, quæ sensus tam internos quam externos adficiunt omnia, singulis æque placere non possint, unde tritum illud proverbium, quo dicitur de gustibus non esse disputandum; nec fieri potest, ut ne aliis Poëtæ veteres, recentiores aliis magis arrideant. Proinde tota hæc lis ita comparata nobis videtur, ac si duo, quorum suam quisque deperit Amaryllida, inter se contenderent, utra esset formosior. Quin idem adfirmare ausim de comparatione Eloquentiæ solutæ recentioris cum antiqua. Declamatoriam intelligo & ludibundam illam, quam unam Eloquentiæ nomine dignam æstimant quidam; nam stylus curiæ & fori hodiernus ab antiquo tantum distat, ut nulla inter utrumque comparatio locum habeat. Qui vero ad seria Reipublicæ Literariæ negotia explicanda a viris politioris ingenii adhibetur oratio, quin jam post Scientiam Logicam magis excultam atque ad stylum quoque formandum adplicatam, & perspicuitate, & ordine, atque connectendi artificio veterum, saltem plurimum dictioni sæpe præstet, qui a partium studio alienus

alienus utrosque inter se contulerit, dubitare poterit nemo. In tractatiuncula hac intra limites fori Philosophici subsistendum esse duximus; quare illas, quæ ad superiores, ut dici solent, Facultates pertinent, scientias relinquimus intactas.

§. XXV.

Quemadmodum Respublica Literaria recentiori hac ætate insignem sibi florem jure gratulari potest, sic læta enascitur spes, fore, ut idem in posteritate perennet, & exoptatissima capiat incrementa. Quod si enim respiciamus ad ea, quæ rei literariæ damnum & perniciem olim intulerant mala, ab his non adeo multum periculi impendere jam videtur. In illis primum sibi locum adserunt bella, quæ ut ipsa sæpe deleverunt imperia, ita, quæ suo hæc fovebant sinu, literarum studia labefactarunt semper, nonnunquam extinxerunt. Quin idem fatum hunc vel istum populum etiam posthac obruere queat, non negaui; quamvis, moribus gentium mitioribus nunc factis, innoxiiis Musis plerumque parere soleant victores: quod autem totus orbis Europæus, in hanc enim amplitudinem illa, de qua agimus, Respublica Literaria se extendit, imo ultra, a barbaris gentibus ita subjugetur, ut communi isti exitio literæ involvantur, id vero ominari nimis foret meticulosum. Quæ olim Rei Literariæ tantum detrimenti importavit superstitio, hæc validis omnigenæ eruditionis armis fracta, caput extollere amplius non valet. Id potius est metuendum, ne servituti

tuti succedat licentia, & superstitioni atheismus; sed quod speramus, & hæc mala Suprema coërcebit Manus. Nec, quæ ad tenebras barbariei quondam plurimum contulit, Linguarum Eruditarum ignorantia formidolose est expectanda; neque a multiplicatione recentiorum sinistrum capiendum est omen, secundum ea, quæ §. §. XXIII. & XXIV. sunt allata. Multitudo librorum eo minus nocet, quia paucioribus ea suppetit res familiaris, ut nimia eorum copia conturbari possint. Quis autem ita foret ineptus, ut omnes, qui extant, libros pervolvendos susciperet? quorum vel antiquissimo tempore ea fuit multitudo, quæ omnem hunc eluderet conatum. Nec desunt, qui doceant, quinam in singulis eruditionis partibus libri sint optimi. Vanus quoque esset metus, ne Principes atque Respublica Civilis, quem hucusque Rei Literariæ præstiterant favorem, continuare aliquando desinant. Nunquam enim fieri poterit, ut ne intelligant arctam illam, quæ inter cultum Scientiarum atque felicitatem civilem intercedit, conjunctionem. Sive namque togata sive sagata spectemus Civitatum negotia, hæc jam eorum est indoles, ut artium ingenuarum subsidio carere omnino nequeant. Tolle Historiam, cæcus vel saltem luscus erit Politicus. Remove Jurisprudentiam Naturalem, & quæ Civili auxiliantur, Scientias reliquas, iudex erit legulejus, & caussidicus rabula forensis. Aufer Mathesin, Physicam & Historiam Naturalem, agricultura, res metallica, opificia & commercia cum Oeconomia omni suis destituentur fundamentis, atque

que illa, quibus longius provehi possunt, adminicula desiderabunt. Quod si quis absque Architecturæ Militaris, cæterarumque Martis ministrarum, Mathematicarum artium adjumento bellum gerere ausus fuerit, non mitius experietur fatum, quam qui cum Hispanis olim belligerabant barbari Americani. Atque constat, quod qui indigenis caruerant harum artium peritis, exteros advocare, eorumque operam care plerumque redimere fuerint compulsi. Proinde, quum nostra hac ætate, rejectis inutilibus tricis, ad usum vitæ humanæ atque civilis magis quam ante adplicari cæperint Scientiæ, adeo periculum non est, ne qui Reipublicæ Literariæ arbitrium agunt, hæc suas clientes deserant, ut potius insigni, quod sibi pariunt, emolumento magis perspecto, arctiori eas benevolentia excipiant.

Si quis unquam populus justas habet causas, cur hac de re speret meliora, certe Sveci & Fenni habent. Ut enim Gloriosissimi Principes GUSTAVUS I. & maximi ejus Successores in cæteris se Patres Patriæ præstiterunt; ita quoque literas tenerrimo complexi sunt favore. Tanta exempla non imitantur solum sed æmulantur Augusti Nostri Serenissimi, ADOLPHUS FRIEDERICUS & LUDOVICA UDALRICA, Qui Ipsi, artium ingenuarum luce radiantes, eas amant, fovent, provehunt, & suo pariter exemplo ad eas strenue colendas invitant, excitant, cogunt; Quibus vitam, valetudinem, & quam conditio humana capit, prosperitatem omnem DEUS T. O. M. clementissime largiatur, ut sub mitissimo Eorum imperio Respublica, & Sacra, & Civilis, & Literaria quam diutissime floreat.

S. D. G.
 HANNOVERIÆ
 PUBLI. BIBLIOTHECÆ
 SYMBIOLICÆ

Höglärde Herr CANDIDAT,

Min Högtårade Frände.

SÄr åkrens fordmån bördig, I ären född til witter slögd.
Och brukaren ei sparar, Ett wigt förstånd, ett muntert minne,
At på alt sätt befordre grödan, En dygdig siäl, ett ärligt sinne
Så wiñes dubbelt när man skär. Har öpnat Eder årañs högd.
När snillet är af äkta halt, I hafwen med berömlig slit
Och ågaren det sent och åtla, Dej hulda ynnest red in wunnit,
Handterar, som en dyrbar pärla, Och liufwa famnen utbredd funnit,
Så bär det wishet hundrafalt. Med tilstånd at få hasta dit,
Den på min sats åstundar prof, Jag drifkar af ett trogit bröst,
Zag til min Frändes lärdom wiñ, At Eder wälförtienta lager
Som hwar sansfärdig mun beveiñ, Nå uti fridsens lugn stå fager,
Så; Til sena ålderdomens höst!
Mig gibrs ei flera skäl behof. Försynen folle lyckans mått
Så öfwerflödigt som jag unñar,
Af Eder första lärospån, Ur Himla-Nådens rika brunñar,
Och den I nu på trycket lämnen, Som upfyldt är af witttra åmnen,
Kan solklart ses, för hwad I gån. Så tryter Eder aldrig godt!

Höglärde Herr CANDIDATENS,

Min Högtårade Frändes

hørsamme tjenare,
SVEN FRIEDRICH SYNNERBERG.